

DE PERSONIS DEO CONSEGRATIS TAMQUAM IMPEDIMENTUM MATRIMONIALE

In primaeva Ecclesia Hispanie

(saec. IV-VIII)

Perfectio evangelica inter fideles duobus potissimum modis acquiri poterat in primaeva Ecclesia: vel tolerantia martyrii, vel consecratione propriae virginitatis (1); cum autem a saeculo quarto martyrii passio rarior evasisset, exemplar perfectionis remansit virginitas (2).

Variae species personarum Deo consecratarum agnoscebantur in primis temporibus Ecclesiae Hispaniae. Erant enim viri et mulieres in monasteriis regulae castitatis addicti et communiter viventes (3); praeterea aderant aliae virgines quae manendo in saeculo professionem castitatis emittebant quaeque «sacratae» appellari solebant (4); denique virgines voto privato seu occulto ligatae, quae sibi soli et Deo notae erant (5). Porro existebat status poenitentium, quem distinguere debemus a gradu poenitentis simpliciter; ad statum poenitentium enim pertinebant illi qui generatim propter peccata relinquendo mundum se impendebant operibus poenitentiae in speciali statu vitae (6). Pariter iuvenes viduae post mortem mariti professionem castitatis emittebant, consecrationem recipiebant, et appellabantur viduae sacrae (7), de quibus

(1) VILLER, M.-OLPHE-GALLIARD, M.: *Ascétisme*, in *Dictionnaire de Spiritualité*, 1, 964.

(2) CRESCENTIO A CARTOSIO, O. F. M., Cap.: *De virginibus in primaeva Ecclesia Latina earumque iuridicis obligationibus ad perfectionem* (saec. I-IV) (Romae, 1943), 26.

(3) TORRES, M.: *Lecciones de Historia del Derecho Español*, 1 (Salamanca, 1936), 432.

(4) THOMASSINUS, L.: *Vetus et nova Ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios* (Venetiis, 1730), 1, ed. 2, 728. PÉREZ DE URBEL, J., O. S. B.: *El monasterio en la vida española de la Edad Media* (Barcelona, 1942), 24.

(5) WERNZ, F. X.; VIDAL, P.; AGUIRRE, PH., S. J.: *Ius canonicum ad Codicis normam exaratum*, 5, *Ius matrimoniale* (Romae, 1946), ed. 5, 377.

(6) VILLADA, Z. G., S. J.: *Historia Eclesiástica de España* (Madrid, 1929-1933), 2, seg., 66.

(7) Cfr. *Conc. Toletanum*, IV (633), can. 55; *Conc. Toletanum*, VI (638), can. 6; *Conc. Toletanum*, X (656), cans. 4 et 5. Cfr. DUCHESNE, L.: *Origenes du culte chrétien* (Paris, 1925), ed. 5, 442; VOGEL, C.: *La consécration des vierges dans l'Eglise romaine*, en «*Revue de Droit Canonique*», 4 (1954), 346.

postea erit quaestio. Aliqui auctores distinguunt quinque aut sex species diversas virginum (8), sed existimamus eas reduci posse ad supra dictas.

Hinc investigationem instituemus de monachis ac sanctimonialibus, de virginibus in saeculo viventibus et de poenitentibus, quatenus considerabantur esse in statibus matrimonium impediens vel iam contracto uti prohibentibus. Methodum expositionis adhibitum erit logicum, scil. notionem atque naturam praebendo una cum evolutione impediens probando.

§ 1. DE MONACHIS AC SANCTIMONIALIBUS

Monachi et sanctimoniales, illi erant quae in monasteriis vivebant cum promissione Deo facta ibi perpetuo manendi et cum proposito tendendi ad perfectionem, sub obedientia superioris et cum obligationibus castitatis et fere semper paupertatis.

Consecratio Deo fiebat in perpetuum, et nullo modo post definitivam admissionem et pro monialibus post velationem (9) admittebatur regressus ad saeculum vel contractus matrimonialis. Sic prohibitio duplex erat, scil. exeundi a monasterio quia professio erat irrevocabilis in perpetuum, et matrimonium ineundi quia castitas servari promittebatur. Ergo talis modus vivendi constitutebat verum obstaculum ad matrimonium contrahendum, ac transgressio huiusmodi legis puniebatur diversis poenis. Verumtamen matrimonium a monachis vel etiam a virginibus monialibus Deo dicatis contractum validum fuisse videtur, vel saltem non constat de eius nullitate, licet illicitum et prohibitum putaretur (10).

Non certe constat quamnam regulam observabant primi monachi ac sanctimoniales hispanae (11); tamen procul dubio Donatus qui ex Africa in Hispa-

(8) E. g. THOMASSINUS, L., *op. cit.*, l. 753: «Erant ergo olim sex foeminarum Deo sacrarum genera. Nimirum Sanctimoniales, quae simpliciter profitebantur, sive in paternis aedibus, sive in Monasteriis. Virgines sacrae quae ab Episcopo consecrabantur. Diaconissae, quarum ordinatio specie tenues plurimum alludebat ad Diaconi ordinationem, etsi mera illa esse caeremonia. Abbatissae Monasteriorum. Praefatae Virginum Ecclesiasticarum, qua in aeternis aedibus diversabantur. Denique Clericorum maiorum coniuges.» CRESCENTIO A CARTOSIO, *op. cit.*, 37: «Praefatae erant saltem in quibusdam regionibus virgines appellatae viduatae quia habebant praerrogativas viduarum.»

(9) DUCHESNE, L., *op. cit.*, 443; VIZMANOS, F. DE B., S. J.: *Las vírgenes cristianas de la Iglesia primitiva* (Madrid, 1949), 161: «El rito de la velación en el ceremonial de la virginidad... incluía por su origen histórico el doble matiz de iniciación religiosa y de fuerza indisoluble.»

(10) GONZÁLEZ, apud MENDOZA, F. DE: *Concilium Illiberitanum adiunctis Mendozae et aliorum commentariis* (hic est titulus usitatus, sed titulus verus est *Vetustissimum et nobilissimum Concilium Illiberitanum, quarto ineunte saeculo in Hispania celebratum cum Discursibus apologeticis...*) (Lugduni, 1665), 201.

(11) Pro hac quaestione cfr. potest FERROGLIO, G.: *La condizione giuridica degli ordini religiosi* (Torino, 1931), 15: «In Spagna il monachessimo fu introdotto dall'Africa, e benché non si abbiano notizie precise sui chiostrri prima del secolo V, pure la

niam venerat regulam scripsit (12); itemque IOANNES BICLARENSIS (13); istae autem regulae erant pro eorum monasteriis tantum et de ipsis notitia historica tantummodo manet (14). Paulo post S. MARTINUS, qui monachus erat ex Oriente proveniens, etsi non scripsit regulam proprie dictam, tamen eius opera *Aegyptiorum Patrum Sententiae* atque *Verba seniorum* influxum habuerunt in vitam monachalem (15). Regulae proprie dictae conservantur quattuor: una composita a S. LEANDRO pro sua sorore (16); altera a S. ISIDORO (17) ac duae a S. FRUCTUOSO (18). In altera ex duobus regulis S. FRUCTUOSI invenitur notio promissionis seu iuramenti seu *pacti* qui reponitur in acceptatione ex parte Superioris traditionis personalis monachi (19). Ex his verbis deducitur pactum certe continere veram formulam professionis religiosae consistentis in promissione obedientiae tantum. Alia consecratoria ex «pacto» provenientia sunt obligatio castitatis et paupertatis una cum proposito tendendi ad perfectionem.

Duplici modo dicatio Deo fieri poterat, scil. per professionem personalem voluntariam vel per solemnem oblationem a parentibus factam. Sic in Concilio Toletano IV (633) can. 49 dicitur: «Monachum aut paterna devotio, aut ex propria professio facit; quidquid horum fuerit, alligatum tenebit...» (20). Nihilominus in Concilio Toletano X (656) admittitur quaedam limitatio eorum effectuum iis qui voluntate parentum Deo totaliter sese dicaverunt, ut postea melius apparebit.

A quonam tempore illud votum publice in Ecclesia fuerit emissum non certe constat; tamen aliquo sensu, iam exeunte saeculo tertio, votum virginitatis publicum et authenticum fuit; dicitur autem «aliquo sensu», quia episcopi impendendo peculiare curas quoad eius observantiam, saltem implicite illud agnoverunt; tamen probari nequit ipsum habuisse ea omnia elementa quae ad

vita monastica dovette esservi conosciuta anche prima, dapoiché nelle decretali di Papa Siricio del 385 si parla di monaci e monache che resiedono nella Spagna»; VIZMANOS, F. DE B., *op. cit.*, 610; MAZÓN, C. S. J.: *Las reglas de los Religiosos* (Roma, 1940), 63.

(12) Cfr. ILDEFONSUS, S.: *De viris illustribus*, in *P. L.*, 96, 200; IOANNES BICLARENSIS: *Chronicon*, in *P. L.*, 72, 868. De diversis edicionibus huius operis cfr. potest CAMPOS, J., Sch. P.: *Ediciones del Cronicon de JUAN DE BICLARA, Obispo de Gerona*, in «Salmanticensis», 2 (1955), 686-690.

(13) ISIDORUS, S.: *De viris illustribus*, in *P. L.*, 83, 1105: «Qui postea condit monasterium quod nomine Biclario dicitur.»

(14) MENÉNDEZ PIDAL, R.: *Historia de España* (Madrid, 1940), 3, 295.

(15) Cfr. FLÓREZ, H., O. S. A.: *España Sagrada* (Madrid, 1747-1745), 15, 433.

(16) LEANDER, S.: *De institutione virginum*, in *P. L.*, 72, 873 ss.

(17) ISIDORUS, S.: *Regula monachorum*, in *P. L.*, 83, 867 ss.

(18) FRUCTUOSUS, S.: *Regulae monachorum*, in *P. L.*, 87, 1099 ss.

(19) FRUCTUOSUS, S.: *Regulae monachorum*, in *P. L.*, 87, 1127-1130. Cfr. HERWEGEN, I.: *Das pactum des hl. Fruktuosus von Braga* (Stuttgart, 1907), 1 ss.

(20) MANSI, I. D.: *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio* (Florentiae-Venetii, 1759-1798), X, 631.

iuridicam publicitatem requiruntur, scil. non constat an reciperetur a legitimo superiore, nomine Ecclesiae (21). Nihilominus saeculo quarto, vota virginitatis, praesente et acceptante auctoritate (multoties episcopo) proferebantur, iisque ob professionem istam specificam, obligationes et iura connexa agnoscebantur. Tunc vota videtur fuisse publica (22). Certum est autem saec. IV et deinceps verum statum monachalem in Hispania recognitum fuisse ab auctoritate Ecclesiae et promissiones individuorum ab ea esse acceptata, cum peculiaribus effectibus (23).

Primum documentum relate ad virginitatem monachalem in Hispania est, ut credimus, can. 13 Concilii Illiberitani, qui sic statuit: «Virgines quae se Deo dicaverint, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasae aut infirmi corporis lapsu vitiatas, omni tempore vitae suae huiusmodi foeminae egerint poenitentiam, ut abstineant se a coitu, eo quod lapsae potius videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere» (24). Ut patet ex ipso textu, res quae in canone continentur aliquibus dubiis scatent et sic quibusdam contentioibus inter auctores locum praebuerunt. Prima contentio iam oritur ex verbis initialibus: «Virgines quae se Deo dicaverunt»; iuxta quosdam (25), haec verba intelligenda sunt de virginibus in saeculo viventibus; alii e contra asserunt referendas esse ad illas quae in claustris degebant (26). Tamen nos rem aliter iudicamus et dicimus: canonem referri ad omnes virgines Deo dicatas, speciali actu solemnium, sive vivant in claustris sive non (27); ratio istius assertionis reponitur

(21) CRESCENTIO A CARTOSIO, *op. cit.*, 31 et 34; KURTSCHIED, B., O. F. M.: *Historia Iuris Canonici. Historia institutorum ab Ecclesiae fundatione usque ad Gratianum* (Romae, 1951), ed. 2, 77; MUZARELLI, V. F.: *Piae Societatis S. Pauli, De Professione Religiosa a primordiis ad saec. XII* (Romae, 1938), 53.

(22) CRESCENTIO A CARTOSIO, *op. cit.*, 34.

(23) Sufficit revocare praescriptiones *Conc. Caesaraugustani* (380), can. 6.

(24) MANSI, *op. cit.*, II, 8.

(25) VIZMANOS, F. DE B., *op. cit.*, 545 et 605; HEFELE, CH. J.; LECLERCQ, H., O. S. B.: *Histoire des Conciles* (Paris), ed. 1869, 1, 141: «Quand des vierges consacrées à Dieu (étaient-ce des religieuses proprement dites, ou des jeunes filles qui, demeurant dans leur famille, consacraient à Dieu...? commettaient...); sed in ed. Paris, 1907-1921, 1 prim., 229, non adest haec propositio et sic simpliciter dicitur: «Quand des vierges consacrées à Dieu commettaient une faute charnelle (par la luxure ou par le mariage)...»

(26) MUZARELLI, V. F., *op. cit.*, 47; VILLADA, Z. G., *op. cit.*, 2, prim. 281 (tamen videas 302).

(27) Cfr. ESMÉIN, A.; GENESTRAL, R.: *Le mariage en Droit canonique* (Paris, 1929-1935), ed. 2, 1, 301; GONZÁLEZ, apud MENDOZA, F. DE, *op. cit.*, 192. Nescimus in quo fundatur LECLERCQ, H., O. S. B.: *Cénobitisme*, in *Dic. Arch. Lit.*, 2, 2218, cum affirmat: «Le Concile de l'Elvire, vers l'an 300, si détaillé, si prévoyant, si minutieux, ne permet pas de supposer la présence d'ascètes ou de vierges vivant dans leurs maisons ou par groupes des vierges vivant dans le sud de l'Espagne. Ce n'est que beaucoup plus tard, vers le dernier quart du IV^e siècle et dans la région nord-ouest voisine de l'Océan...» DUGUET, J.: *Conferences ecclésiastiques* (Cologne, 1742), 1, 363.

in differentia fundamentali quae vigeat inter virgines Deo dicatas modo solemniter et cetera tantum sibi et Deo cognitae, de quibus non est quaestio. Altera contentio non parvi momenti quoad dispositionem canonis Concilii Illiberitani est: utrum verba «si pactum perdiderint virginitatis atque eidem libidini servierint» referenda sint ad votum violatum per fornicationem (28) an violatum sive per fornicationem sive per matrimonium (29). Videtur secunda sententia esse sequenda, quia iuxta Patres Concilii Illiberitani istae virgines erant Deo dicatae in perpetuum, et nullo modo poterant a suo statu recedere; tunc sive violarent virginitatem per fornicationem (quo virginitatem amittebant) sive per matrimonium (quo non solum virginitatem amittebant, sed etiam statum mutabant), poenis plecti debebant (30). Praeterea haec sententia magis congruit textui canonis quam prima, praesertim si consideratur altera pars canonis, quae supponit illam mulierem posse esse coniugatam.

Duplicem casum violationis pactus castitatis considerat Concilium; nempe virgines quae pactum violant deliberato consilio, et illas quae potius cadunt ex infirmitate vel debilitate; et ideo poenae diversae feruntur (31). Nihilominus nullitas matrimonii minime proclamatur, sed tantum datur prohibitio matrimonium contrahendi seu impedimentum impediens (32). Etenim quamvis excommunicatio usque in finem vitae videatur esse poena gravissima, tamen hoc in casu, respicit tantum illiciteatatem, et sic patet hanc poenam datam fuisse propter gravitatem delicti, sicut affirmata validitate matrimonii, optime concludit FERDINANDO DE MENDOZA: «Constat hinc capitale crimen esse, et inter capitalia praecipuum, fidem Deo fallere: ideoque non solum communionem in vita sed et in vitae exitu sacris virginibus, ut sponso Iesu Christo adulterantibus, ab Hispania Patribus denegari» (33).

(28) MUZARELLI, V. F., *op. cit.*, 50: «Hic citari solet etiam can. 13 Conc. Illib., at minus recte, quia ibi sermo est de virgine quae votum violavit per fornicationem»; FERROGLIO, G., *op. cit.*, 9.

(29) HEFELE, CH. J.; LECLERCQ, H., *op. cit.*, 1, prim., 229; KURTSCHIED, B., *op. cit.*, 77; VIZMANOS, F. DE B., *op. cit.*, 163.

(30) MENDOZA, F., *op. cit.*, 193; GAMS, P. B.: *Die Kirchengeschichte von Spanien*, 2 prim., Regensburg, 1864, 64.

(31) DUGUET, J., *op. cit.*, 1, 363.

(32) MUZARELLI, V. F., *op. cit.*, 49; KURTSCHIED, B., *op. cit.*, 77; INSADOWSKI, H.: *Quid momenti habuerit christianismus ad ius romanum matrimoniale evolvendum*, in «Acta Congressus Iuridici Internationalis» (Romae, 1935), II, 66; et LEO I agnoscit adhuc validitatem eiusdem matrimonii. At contra stant pro invaliditate VIZMANOS, F. DE B., *op. cit.*, 163: «Parece, pues, bastante bien fundado el argumento que saca WECKESSER de este canon para determinar el carácter de impedimento dirimente que tenía ya el voto de virginidad en aquel tiempo en España»; LUNA GÓMEZ, N.: «*Quod Deus coniungit*». *Investigación histórica de los orígenes de la legislación eclesiástica sobre la indisolubilidad matrimonial* (Cúcuta, 1949, 155), nihilominus non apparet clare an referat ad Concilium Illiberitanum vel ad S. Basilium.

(33) MENDOZA, F. DE, *op. cit.*, 202.

Circa propagationem vitae monachalis praeclarum testimonium habetur in Concilio Cesaugustano (380) cum modus agendi quorundam priscillianistarum damnatur (34). Paucos annos post apparet pretiosa epistola SIRICII Papae (384) ad Hymerium Tarraconensem, quae imponit poenas monasteriis, utriusque sexus, in pessima condicione morali versantibus, et inter vitia citantur: «... ut prius clanculo, velut sub monasteriorum praetextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint, postea vero in abruptum conscientiae desperatione perducti de illicitis complexibus libere filios procreaverint. Quod et publicae leges et ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas a monasteriorum coetu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus» (35). Verba de «illicitis complexibus libere filios...» etsi in se non significant matrimonium, tamen videntur ex contextu epistolae ita esse intelligenda, et sic plures auctores opinantur (36).

Magnum incrementum monachismi recte explicat cur denuo Summus Pontifex intervenerit ad dubia solvenda, quae forsitan magis ex debilitate spiritus quam ex malitia oriebantur. Sic S. LEO I in sua epistola ad Rusticum Narbonensem statuit: «Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum deserere non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet et reddere. Unde qui relicta singularitatis professione, ad militiam vel ad nuptias devolutus est, publicae poenitentiae satisfactiones purgandus est; quia etsi innocens militia, et honestum potest esse coniugium, electionem meliorum deseruisse transgressio est» (37). Hic non affirmatur nullitas matrimonii, sed potius illicitas eiusdem (38); praeterea iterum professio monachalis proclamatur in perpetuum esse, et nullo modo admittitur regressio ad saeculum vel matrimonium contrahere (39); tandem ex eadem epistola clare patet conceptus publici status monachalis.

Plures aliae dispositiones datae sunt ad servandum honorem vitae monachalis, e. g. in Concilio Illerdensi (524) (40); pariter Concilium Barcinonen-

(34) MANSI, *op. cit.*, III, 635.

(35) SIRICIUS, S.: *Epistola ad Hymerium Tarraconensem Episcopum*, in *P. L.*, 13, 1137.

(36) VEGA, A. C., O. S. A.: *El primado Romano en la Iglesia española desde sus orígenes hasta el siglo VII*, in «Revista Española de Teología», 2 (1942), 84; FERNÁNDEZ, J.: *La disciplina penitencial en la España romano-visigoda desde el punto de vista pastoral*, in «Hispania Sacra», 4 (1951), 299.

(37) LEO I, S.: *Epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum*, in *P. L.*, 54, 1207.

(38) ESMEIN, A.; GENESTAL, R., *op. cit.*, 1, 304; INSADOWSKI, H., *op. cit.*, 66; GODEFROY, L.: *Le mariage au temps des Pères*, in *Dic. Théol. Cath.*, 9, 2116.

(39) Cfr. THOMASSINUS, L., *op. cit.*, 1, 768; GURZO, A., O. F. M.: *De apostasia a religione et de fuga* (Clauio polo, 1943), 37.

(40) MANSI, *op. cit.*, VIII, 613; nam Conc. Illerdense in can. 3 praescribit: «De monachis vero id observari placuit, quod synodus Agathensis et Aurelianensis noscitur decrevisse: hoc tantummodo abdicendum...»; in Conc. Agathensi autem nihil circa continentiam dicitur; in Conc. Aurelianensi (511), can. 21 habetur: «Monachus si in

se (540) in can. 10 decrevit: «De monachis vero id observari praecipimus, quae Synodus Chalcedonensis constituit» (41); ergo Concilium Barcinonense suam fecit doctrinam Synodi Chalcedonensis (451) quae circa continentiam monachorum, in can. 16 prohibet absolute et sub poena excommunicationis, tam virgines sacras quam monachos matrimonium contrahere; conceditur autem episcopo potestas minuendi poenam (42). Ut videtur, incertitudo de nullitate matrimonii pro monachis nondum est sublata. Nam canon et supra dictae decretales Romanorum Pontificum licet semper graviores statuunt poenas, tamen propriis terminis huiusmodi matrimonia non irritant. Rationibus adductis a WECKESER (43) pro nullitate matrimonii, WERNZ-VIDAL (44), HEFELE (45) et VAN ESPEN (46) alias opponunt, pro validitate, quae etsi non omnino certe concludunt tamen ob facultatem praesertim concessam episcopo, maiorem probabilitatem tribuunt sententiae tenenti validitatem matrimonii contra prohibitionem initi. In altero Concilio Barcinonensi (599) can. 4, prohibetur virgo relinquens vestem laicalem et assumens religiosam, ideoque

monasterio conversus, vel pallium comprobatus fuerit accepisse, et postea uxori fuerit sociatus, tantae praevagationis reus numquam ecclesiastici gradus officium sortiatur» (MANSI, *op. cit.*, VIII, 355).

(41) MANSI, *op. cit.*, IX, 110.

(42) MANSI, *op. cit.*, VI, 1228; diversae significationes potest habere pars finalis qua datur potestas episcopo, ut potest videri apud HEFELE, CH. J.; LECLERCQ, H., *op. cit.*, II, sec. 804, et hoc pendet a diversis redactionibus huius canonis, sic e. g. SCHWARTZ, E.: Acta Conciliorum Oecumenicorum (Berolini Lipsiae, 1936), tomus alter, volumen alterum, pars altera (129), 37: «... episcopus autem de hac re auctoritatem praebabit, si vult eos reconciliari» sic ait redactio *ex canonum collectione quae dicitur Prisca*; sed *canones chalcedonenses secundum versiones Dionysii Exigui*, idem (150), 58, habetur: «... confitentibus autem decrevimus ut habeat auctoritatem eiusdem loci episcopus misericordiam humanitatemque largiri»; atque iuxta aliam redactionem, scil., *ex collectione canonum Hispana*, idem (132), 90, habetur: «... statuimus vero posse in eis facere humanitatem, si ita probaverit loci episcopus»; denique *ex collectione quae dicitur Theodosii Diaconi* adhuc aliam redactionem habemus: «Definimus vero habere auctoritatem in eis misericordiae localem episcopum», idem (208), 108.

Pro Concilio Chalcedonense consulendum est: GRILLMEIER, A; BACHT, H., S. J.: *Das Konzil von Chalkedon* (Würzburg), I (1951), XVI, 768; 2 (1953), XIV, 967; 3 (1954), IX, 981.

(43) WESKESER, P.: *Das feierliche keuschheitsgelübe der gottgeweihten Jungfrauen in der alten Kirche*, in «Archiv für Katholisches Kirchenrecht», 76 (1896), 343.

(44) WERNZ, F.; VIDAL, P., *op. cit.*, 380.

(45) HEFELE, CH. J.; LECLERCQ, H., *op. cit.*, II, sec. 804: «Ce canon ne dit pas le mariage ainsi contracté par cette vierge ou ce moine soit invalide; au contraire, il suppose qu'il est valide...»

(46) ESPEN ZEGER, B. VAN: *Commentarius in canones et decreta iuris veteris ac novi et in ius novissimum* (Lovanii, 1759), 197: «Cum canon nihil omnino dicat de separatione huiusmodi matrimonii contra emissa vota contracti, sed dumtaxat eis ob fractionem votorum segregari iubeat, verisimile est vota huiusmodi, tempore huius Synodi, non fuisse reputata inter impedimenta dirimentia, sed tantum impediencia, super...»

castitatem promittens, transire ad connubia (47); et ratio nititur sive consecratione Deo facta sive prohibitionem redeundi ad saeculum. Quod principium annuntiat pariter et quidem modo solemniter in Concilio Toletano IV (633), can. 52 (48).

Ista prohibitio revertendi ad saeculum et contrahendi matrimonium lata est pro illis monachis qui professionem emisserant vel sponte vel per oblationem parentum, nam obligationes erant identicae, quia monachus semel in monasterio professus in eo permanere debebat cum suis obligationibus. Ideo si matrimonium contrahebant, separandi erant ab uxore et revocandi in suum monasterium. Id saepe praescribitur, tam si detonsi a parentibus fuerint, aut sponte sua, relicto consensu parentum, se ipsos religioni devoverint (49), sic e. g. Concilium Toletanum IV (633) can. 49 et praesertim can. 52 statuit: «Nonnulli monachorum, egredientes a monasterio, non solum ad saeculum revertuntur, sed etiam uxores accipiunt. Hi igitur revocati, in eo monasterio a quo exierunt poenitentiae deputentur, ibique defleant crimina sua unde decesserunt» (50). Et iterum urgent obligationem permanendi in monasterio Concilium Toletanum VI (638), can. 6 (51); Concilium Toletanum VIII (653), can. 7 (52), et Concilium Toletanum X (656), can. 6, in quo tamen ponitur una condicio, i. e. limitatio voluntatis parentum offerendi Deo filios suos et consecrari eos in monasterio: declaratur namque voluntatem parentum valere tantum usque ad decimum annum aetatis, et postea filios habere libertatem sequendi vel relinquendi vitam monachalem, sed electione semel facta reliquae obligationes identicae erant (53).

* * *

(47) MANSI, *op. cit.*, X, 483. Ex ipsis verbis forsitan non deducitur quod agitur de virginibus religiosis, sed concludendum est ex contextu et ex modo loquendi; sic etiam HEFELE, CH. J.; LECLERCQ, H., *op. cit.*, III, prim. 237.

(48) Can. 49, in MANSI, *op. cit.*, X, 631.

(49) GURZO, A., *op. cit.*, 35: «In Hispania Concilia Toletana IV, VI et XII respiciunt vitae religiosae desertores.—1. Concilium Toletanum IV... a) Canon 49 imprimis enuntiat, monachum sive parentum devotione sive propria professa voluntate, ad saeculum redire omnino impediri debere. b) Canon 52 monachos e monasterio egredientes uxoresque accipientes ad monasterium revocat, ut ibi defleant crimina sua inde peccaminose decesserunt. c) Canon 53 (etiam 55 et 56), idem decernit de aliis vitae religiosae desertoribus, cuiuscumque generis illi sint poenitentes, viduae, virgines sacrae.»

(50) MANSI, *op. cit.*, X, 631.

(51) MANSI, *op. cit.*, X, 665.

(52) MANSI, *op. cit.*, X, 1217.

(53) MANSI, *op. cit.*, XI, 32: «Parentibus sane filios suos religioni contradere, non amplius quam usque ad decimum aetatis eorum annum licentia poterit esse. Postea vero, an cum voluntate parentum, an suae devotionis fit solatium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum...» Praxis accipiendi pueros in monasterio locum dedit ad multos et graves abusus; Cfr. AREMILLAS, I.: *La autobiografía de San Valerio (siglo VII) como fuente para el conocimiento de la organización eclesástica visigótica*, in «Archivo de Historia del Derecho Español», 11 (1934), 472 ss.

Hucusque probavimus existentiam impedimenti ex documentis seu dispositionibus legalibus sive ex Romanis Pontificibus sive ex canonibus Conciliaribus. Nunc exponemus dispositiones vel doctrinam contentam in regulis conditorum et in scriptis auctorum. De numero et existentia regularum iam locuti sumus. Prima regula conservata, est S. LEANDRI, dicata eius sorori; in ea valde extollitur virginitas et matrimonium consideratur virginitati inferius (54), disuadetur et prohibetur reversio ad saeculum, tamen expresse non fit sermo de prohibitione contrahendi matrimonium, licet ex contextu et modo loquendi possit haec prohibitio deduci. Similiter regula S. ISIDORI (55), quamvis non nominet inter vitia monachorum, vitium contrahendi matrimonium, nihilominus absoluta inhibitio revertendi ad saeculum, et praeterea prohibitio omnis familiaritatis cum mulieribus inducunt illiciteam transeundi ad nuptias (56).

Etiam S. FRUCTUOSUS insistit (57) in obligatione permanendi perpetuo in monasterio, item prohibet recipere eos qui «neque ibidem perpetuo perdurare» volunt (58); quando autem enumerat vitia monachorum, sic loquitur: «et quod peius est, a proprio monasterio se auferre disponunt» (59). Praeterea cum multi ingrederentur adulti et aliquoties haberent mulierem et filios, ideo admonet eos ne nimiam curam de iis gerant (60). Circa castitatem valde severus est, cum prohibeat religiosum solum cum muliere sola loqui, etsi in itinere alter alteri obvieniatur, severis poenis punire iubet transgressores (61). Non tantum obligatione tenebantur castitatem servare coram Deo et constantiae, sed etiam coram hominibus, suaeque vita, aliis debebant bonum exemplum praebere; etenim loquendo de disciplina monasteriorum, a viris et mulieribus constitutis statuit: «Ut non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus bonum testimonium habeant, et superstitibus sequacibus sanctitatis exemplar relin-

(54) MENÉNDEZ PIDAL, R., *op. cit.*, 3, 333; VIZMANOS, F. DE P., *op. cit.*, 105, 156. Pro recta intelligentia huius regulae cfr. MADRIZ, J., S. J.: *Varios enigmas de la «Regla» de San Leandro descifrados por el estudio de sus fuentes*, in *Miscellanea Giovanni Mercati* (Città del Vaticano, 1946), 1, 282 ss.

(55) PÉREZ DE URBEL, J., O. S. B.: *El monasterio en la vida española de la Edad Media* (Barcelona, 1942), 34; multum loquitur de paupertate et obedientia et nihil de castitate apud regulam S. Isidori, et paucum apud alias regulas.

(56) ISIDORUS, S.: *Regula monachorum*, in *P. L.*, 83, 886: «Graviori autem culpa obnoxius est, si... feminarum familiaris.»

(57) GURZO, A., *op. cit.*, 25: «Tales erant regulae S. Isidori Hispalensis et S. Fructuosi, in quibus delictum illegitimi recessus strictius et accuratius determinatum invenimus, quam in regula S. Benedicti.» Pro similitudinibus et dissimilitudinibus regularum S. Isidori et S. Fructuosi, cfr. PÉREZ DE URBEL, J., *op. cit.*, 35 ss.

(58) FRUCTUOSUS, S.: *Regula monachorum*, 2, in *P. L.*, 87, 1114.

(59) FRUCTUOSUS, S.: *Regula monachorum*, 2, in *P. L.*, 87, 1121.

(60) FRUCTUOSUS, S.: *Regula monachorum*, 2, in *P. L.*, 87, 1121.

(61) FRUCTUOSUS, S.: *Regula monachorum*, 2, in *P. L.*, 87, 1123: «Et qui talia facere praesumit, cum cautione admoneatur, quod abusive habuerit monachorum praecepta, et hanc secundo germinaverit culpam, verberatus denuo carceri mancipetur: aut si poenitere noluerit, foras proiciatur.»

quant» (62). Praescribit omnimodam separationem hominum a mulieribus horum monasteriorum, etsi fuerint coniugati antequam in conventuum ingressi sint. Ex hoc deducitur obligatio servandi castitatem non solum ab eis qui coniugati erant, sed etiam a non coniugatis. Iamvero si pro coniugatis nefas erat matrimonio uti, infertur non licere illud contrahere; ideoque status monachalis, pro S. FRUCTUOSO, verum impedimentum ad matrimonium contrahendum constituebat. Ipse TAIO supponit obligationem servandi consilia evangelica pro quibusdam personis (63).

Quaeri potest utrum monachi, qui reliquerint monasterium, potuerint matrimonium contrahere. Si namque obligatione tenebantur redeundi in monasterium et ibi debebant ducere vitam caelibem, deducitur eis non licuisse contrahere matrimonium. Verumtamen prohibitio ista tantum erat sub poena illiciteitatis, quia si ne pro monachis quidem in monasterio degentibus constat de nullitate matrimonii, minus constabit pro redeuntibus in saeculum (64).

Licet nobis paucis verbis enucleare ea quae diximus. De existentia personarum Deo consecratarum, in monasterio viventium in Ecclesia Hispaniae iam a saec. IV notitiam habemus; talis status erat in perpetuum, sive religiosi ex propria voluntate ingressi essent sive oblatione parentum, etsi pro istis tempore posteriore datur exceptio. Talis status verum impedimentum constituebat ad matrimonium contrahendum et ad eum utendum si iam contractum esset; tamen videtur matrimonium contractum contra tales prohibitiones fuisse validum, vel saltem non constat de nullitate, et hoc evincitur ex dispositionibus Romanorum Pontificum, ex Conciliis, atque ex regulis monachorum.

(62) FRUCTUOSUS, S.: *Regula monachorum*, 2, in P. L., 87, 1124; ad habendam cognitionem de istis monasteriis potest consuli VILLADA, Z. G., *op. cit.*, 2, prim. 310; et ipsa *Regula* S. FRUCTUOSI in P. L., 87, 1115 ss. Hae ideae inveniuntur etiam in quadam regula fere ignota, quae conscripta fuit ante saec. IX: «Cognitam habens congregationem vestram et casta dilectionem et sanctam conversationem et largiorem gratiam Dei, quae data est vobis, sorores carissime, ut non solum *nuptias carnales contemneritis*, verum etiam elegeretis...» Ed. VEGA, A. C., O. S. A.: *Una adaptación de la «informatio regularis» de S. Agustín anterior al siglo IX para unas vírgenes españolas*, in *Miscellanea Mercati* (Città del Vaticano, 1946), 2, 43.

(63) TAIO: *Sententiarum libri quinque*, in P. L., 80, 808: «Sicut enim non iudicantur et pereunt qui, suadente perfidia, lege teneri contemnunt, ita non iudicantur et regnant qui, suadente pietate, etiam ultra generalia divinae legis praecepta proficiunt»; et in P. L., 80, 847: «Bonus monachus ab huius mundi inquieti concupiscentia se penitus subtrahit, ac terrenarum actionem strepitum deserit, et...»

(64) Ex illo facto quod narrat S. VALERIUS: *Opuscula*, ed. FLÓREZ, H., O. S. B., in *España Sagrada* (Madrid, 1762), 16, 387, quod scil., duo fratres relinquerunt conventum, et acceperunt uxores et iterum ad conventum redierunt, sicut patet ex modo loquendi, nullomodo constat de nullitate matrimonii. Etiam *Liber Ordo*, in formula ad benedicendas virgines habetur: «Deus, qui ita corporis *diligis castitatem*, ut ei...» (LIBER ORDO MUZARABICUM, ed. FEROTIN, M., O. S. B. [París, 1904], 64.)

§ 2. DE VIRGINIBUS

Virgines erant mulieres quae, manentes in saeculo, castitatem suam Deo devovebant in perpetuum, sicque in propriis domibus vitam quasi monachalem ducebant.

Existentia puellarum, virginitatem in saeculo profitentium, iam antiquitus cognoscitur: illae constituebant sectionem specialem in communitate fidelium (65). Post edictum autem Constantini introducitur caeremonia impositionis velaminis, generatim facienda ab episcopo (66). Eiusmodi saeculares virgines, per plura saecula existere pergunt, etsi numerus earum minuat, dum vita monastica in dies augetur. Iuridice suppressae non sunt nisi currente saeculo duodecimo, a Concilio Lateranensi II (1139), quod eas ut virgines Christo consecratas noluit ultra recognoscere (67).

Distinguebantur, salte, per aliquos annos, in virgines velatas seu consecratas et virgines non velatas seu canonicas (68). Iamvero radix impedimenti matrimonialis erat eadem pro utriusque; nempe in eo consistebat quod tales mulieres promiserant servare castitatem, quam, si matrimonium contraxissent, servare iam amplius non potuissent (69). Praeterea ex promissione debebant tendere ad perfectionem mediis excellentioribus; si autem matrimonium contraxissent, ideale perfectionis minuisset, cum tunc temporis status matrimonialis consideraretur inferior ac legislatores non admitterent personas, semel positas in statu excellentiore et consecratas per velationem, potuisse regredi ad inferiorem. Ergo tales virgines matrimonium contrahere non poterant, et omnis violatio ut adulterium sacrilegum consideraretur (70).

Nihilominus si contra praescriptum matrimonium contrahebant, huius validitas admittenda esse videtur; idque non solum pro virginibus non velatis (quae si matrimonium contrahebant, mitioribus poenis subiciebantur) pro quibus nullo modo possumus valorem nuptiarum in dubium revocare, cum aliquoties expresse admissus sit; sed etiam pro virginibus consecratis, quarum matrimonium existimamus validum, vel saltem de eius nullitate argumenta

(65) DUCHESNE, L., *op. cit.*, 442.

(66) CRESCENTIO A CARTOSIO, *op. cit.*, 54.

(67) MANSI, *op. cit.*, XXI, 532 (in c. 26): «... perniciosam et detestabilem consuetudinem quorundem mulierum, quae licet neque secundum regulam Benedicti, neque Basilii aut Augustini vivant, sanctimoniales tamen vulgo censeri desiderant, aboleri decernimus». Ad modum consecrarii dicendum est tamen votum, ab Ecclesia ut publicum agnoscebatur (cfr. MUZARELLI, V. F., *op. cit.*, 46).

(68) Cfr. LEO I, S.: *Epistola ad Rusticum*, in P. L., 54, 1208.

(69) Cfr. PEREIRA ALVES, B., O. F. M.: *La doctrine du mariage selon Saint Augustin* (Paris, 1930), 162: «Après le voeu, il est illicite non seulement de se marier, mais encore de désirer le mariage... Ce n'est donc pas seulement le fait du mariage, ce n'est même pas précisément le mariage, mais c'est l'acte de la volonté renonçant aux engagements du voeu, qui mérite la condamnation.»

(70) DUCHESNE, L., *op. cit.*, 379.

non habemus (71), etsi virgines gravibus poenis subiciebantur, sicut melius apparebit ex immediato examine legum ac normarum praesertim ex Concilii provenientium.

Existencia impedimenti matrimonialis provenientis ex virginitatis promissione, pro virginibus saecularibus iam apparet incunte saec. IV. Etenim, sicut diximus, in paragrapho praecedenti, can. 14 Concilii Illiberitani loquitur—secundum aliquos—exclusive et—iuxta sententiam veriore—cumulative, de virginibus saecularibus; proinde iam habetur ibi praeclarum testimonium de hoc impedimento, consequente ex obligatione virginum sacrarum saecularium et ex sanctionibus contra transgressores. Pro particularitatibus remittimus ad antea dicta (72). In Concilio Caesaraugustano (380), can. 8, statutum est nullo modo velandas esse tales virgines nisi aetatis quadraginta annorum forent (73). Ita «velatio» iam non erat initium vitae virginitatis Deo consecratae, sed potius perfectio eius seu quasi complementum, ad firmandam fidelitatem ipsarum virginum (74). Concilium Caesaraugustanum non statuit cui reservaretur consecrare vel velare virgines; hoc autem stabiliter in Concilio Hispalensi (619), can. 7, et decernitur episcopo pertinere (75). In Concilio Toletano I (400), can. 16, primo statuuntur poenae contra virgines quae violant pactum virginitatis per fornicationem, et postea quoad illas quae contrahunt matrimonium, statuitur sequens dispositio: «Quae autem maritum acceperit, non admittitur ad poenitentiam, nisi adhuc vigente ipso viro, caste vivere coeperit, aut postquam ipse decesserit» (76). Ut patet, disciplina Concilii Toletani, quae aliquando apparet relative mitis (e. g. in canone 1), quoad violationem voti virginitatis est valde severa, cum ne permittit quidem eis qui votum emisissent, uti matrimonio contracto, supposito matrimonio valido. Rigor Concilii Toletani adhuc magis apparet in can. 19, ubi statuuntur poenae non tantum contra virginem quae matrimonium contraxerit, sed etiam contra parentes eius; et in specie praescribitur separatio coniugum (77). Hic iterum in mentem revocare

(71) MUZARELLI, V. F., *op. cit.*, 49.

(72) Cfr. supra id quod diximus in p. 716.

(73) MANSI, *op. cit.*, III, 635.

(74) VIZMANOS, F. DE B., *op. cit.*, 149.

(75) MANSI, *op. cit.*, X, 559; VILLADA, Z. G., *op. cit.*, 1, prim. 213, affirmat reservationem impositionis velaminis, Episcopis, factam esse a Conc. Caesaraugustano; sed hoc affirmari nequit, nam in can. 8 eiusdem Concilii dicitur: «Item lectum est, non velandas esse virgines quae se Deo voverint, nisi quadraginta annorum probata aetate, quam *sacerdos* comprobaverit»; ideo nullo modo constat de reservatione Episcopis concessa.

(76) MANSI, *op. cit.*, III, 1001. Hic canon transit, hinc inde mutatum, in Collectionibus Martini Bracaraensis. Eadem doctrina et praxis invenitur in additionibus Concilii Toletani, quae tamen pertinent ad tempora posteriora.

(77) MANSI, *op. cit.*, III, 1001: «Episcopi, sive presbyteri, sive diaconi filia, sive Deo devota fuerit, et peccaverit, et maritum duxerit; si eam pater vel mater in

iuvat ea quae antea diximus, scilicet, illam separationem a marito probare certe severitatem disciplinae, at non omnino demonstrare nullitatem matrimonii; ratio est quia salvo valore matrimonii, nuptiae illicite et sacrilege celebratae sunt; ideo potuit Concilium praescribere vel laudare separationem, quia votum perdurabat (78). Tandem parti non adstrictae voto separatio poterat imponi ratione criminis (79).

Porro etiam Summus Pontifex LEO I loquitur de hac quaestione. In sua citata epistola ad Rusticum Narbonensem, clare apparet distinctio quam enuntiavimus in initio, scil. virginum consecratarum et non consecratarum, licet omnes dicatae Deo fuerint, constituentes specialem statum in Ecclesia; praeterea apparet ibi pro omnibus existere obligationem castitatis et proinde prohibitionem contrahendi matrimonium: «... si postea nuptiae eligunt, praevaricantur, etiam si consecratio non accessit» (80). Verba S. LEONIS Papae, etsi sint fortia, tamen sunt verba patris magis quam legislatoris, nam poenas, quae fere semper inveniuntur in Conciliis hispanicis quaeque indicant rigorem et praxim Ecclesiae Hispaniae, non continent (81). Tandem Romanus Pontifex distinguit virgines quae fecerunt professionem virginitatis ex coactione parentum et illas, quae sponte sua professionem emisserant; haec si contrahunt matrimonium, praevaricantur, expresse dictum est. Verumtamen credimus certam esse validitatem matrimonii pro virginibus quae voluntate parentum promiserunt castitatem, et saltem non constare de nullitate matrimonii pro illis virginibus constitutis voluntate propria, quamvis illicite in utroque casu proclametur (82).

S. MARTINUS in sua *Collectione Canonum*, de qua saepe locuti sumus, repetit—salvis paucis modificationibus—et urget disciplinam statutam in canonicis 16 et 19 Concilii Toletani I, obligando virginem ad continentiam

affectum receperint, a communione habeantur alieni. Pater vero causas in concilio se voverit praestaturum; mulier vero non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto, egerit poenitentiam. Si autem vivente eo secesserit, et poenituerit, vel petierit communionem, in ultimo vitae deficiens, accipiat communionem»; praesens canon transit, paulum mutatum in *Collectione S. Martini Bracarenensis*, can. 30; cfr. GONZÁLEZ RIVAS, S.: *La formación del clero en la España visigoda*, in «*Miscellanea Comillensis*», 1 (1942), 386.

(78) GURZO, A., *op. cit.*, 12: «...supra laudati canones... ad strictam voti liberi emissi obligationem appellabant».

(79) WERNZ, F.; VIDAL, P., *op. cit.*, 378.

(80) LEO I, S.: *Epistola ad Rusticum*, in *P. L.*, 54, 1208.

(81) In recensione contenta in *P. L.*, 84, 768, dicitur: «Ambigi non potest crimen admitti, ubi et propositum deseritur et consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impune calcari, quid eas manebit quae corruperit divini foedera sacramenti...» Nihilominus haec verba pertinent ad tempora posteriora, ut probatum est apud *P. L.*, 54, 1207.

(82) GODEFROY, L., *op. cit.*, 2116: «Saint Léon ne semble pas considérer de tels mariages comme invalides.»

perpetuam etsi habeat maritum, quia supponendum est, ut alibi diximus, matrimonium esse validum, cum nullitas eius non probetur (83).

Debilitas autem humana et forsitan etiam perturbationes temporum erant causa frequentis violationis pacti virginittatis. Propter hoc Ecclesia iterum atque iterum debuit urgere obligationes virginum; sic in Concilio Barcinonensi (599) Patres Capitulares procedunt magno cum rigore, quod quidem mirum est, cum post Concilium Illiberitanum et Toletanum decernant. Etenim praescribunt ut virgo quae propria voluntate, abiecta laicali veste, promiserit servare castitatem, et iterum velit transire ad terrenas nuptias expellatur ab Ecclesia ita ut nulla prorsus eis permittatur communio vel communicatio cum catholicis (84). Existimamus tamen praescriptionem non valere si virgo coacta sit promittere Deo castitatem vel matrimonium contrahere, quia in canone expresse ponitur «propria voluntate» (85). Praescriptiones similes inveniuntur in Concilio Toletano IV (633), can. 55, ubi comparatione facta inter virgines saeculares et viduas sacras et poenitentes feminas, clare statuitur duplex prohibitio, scilicet relinquendi statum perfectionis et contrahendi nuptias (86). Hae prohibitiones iterum inveniuntur in Concilio Toletano VI (638) (87) et X (656) (88), ubi urgetur praesertim prohibitio relinquendi statum virginittatis.

Multae aliae notitiae et laudes inveniuntur in operibus sanctorum patrum et scriptorum, potissimum apud TAIONEM, SS. LEANDRUM, ISIDORUM, ILDEFONSUM, VALERIUM, aliosque (89), circa diversas species virginum, quamvis fere semper loquantur de illis, quum comparant earundem statum cum statu matrimoniali, declarant virginittatem esse superiorem matrimonio. Nihil tamen

(83) MARTINUS BRACARENSIS, S.: *Capitula*, ed. BARLOW, C. W. (New Haven, 1950), 132.

(84) MANSI, *op. cit.*, X, 483: «Pari etiam consideratione sancientes, ut si qua virgo propria voluntate, abiecta laicali veste, devotarum more inducta, castitatem servare promiserit...; et ad terrena connubia sponte transierint... utrique ab ecclesiarum liminibus expulsi ita ab hominum catholicorum communione sint separati, ut nulla prorsus eis vel colloquii consolatio sit relicta.»

(85) Notandum est hanc formulam convenire cum verbis S. Leonis, qui etiam requirebat professionem ex propria voluntate.

(86) MANSI, *op. cit.*, X, 632: «Quae forma servabitur etiam in viduis virginibusque sacris, ac poenitentibus foeminis, quae sanctimoniam habitum induerunt, et postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt.»

(87) MANSI, *op. cit.*, X, 665.

(88) MANSI, *op. cit.*, XI, 36.

(89) TAIO: *Sententiarum*, in *P. L.*, 80, 859: «Admonendi sunt peccata carnis ignorantes, ut et praeminere virginittatem coniugio sciant et tamen se super coniuges non extollant»; ISIDORUS, S.: *De ecclesiasticis officiis*, in *P. L.*, 83, 805; IDEM: *Sententiarum libri III*, 83, 644; VALERIUS, S.: *Opuscula*, in *op. cit.*, 16, 372; LEANDER, S.: *De institutione virginum et de contemptu mundi*, in *P. L.*, 72, 879; Idem dicendum de libris liturgicis, nam LIBER ORDO, *op. cit.*, 66, sic ait in benedictione ad velandas Deo dicatas: «...qui servantibus continentiam carnis animarum gaudia repromittis et...» «Et ita custodiant pudicitiam cordis et corporis, ut in caelo post transitum feliciter.»

dicunt, saltem explicitè, de conditione in qua virgo sacra—sacularis seu non monachalis—invenitur quoad matrimonium contrahendum; ideoque non opportunum putamus transcribere textus et explanare eorundem doctrinam, quae quoad rem multum inferior est doctrina Conciliorum.

* * *

Ex dictis patet existentia virginum sacrarum, quae manentes in saeculo, publicam professionem castitatis emittebant. Ecclesia agnoscebat talem statum, et severe puniebat virgines quae transgrediebantur promissiones suas praesertim contrahendo matrimonium, et praescribebat—saltem ad longum tempus—separationem coniugum. Unde constat certissime de illicite talis matrimonii, etsi non de eius nullitate.

§ 3. DE POENITENTIBUS

Alia species personarum Deo consecratarum, constituebatur a poenitentibus, qui quamvis pauciores essent quam aliae duae species de quibus locuti sumus in paragraphis praecedentibus, tamen magnum momentum habuerunt in historia impedimentorum matrimonialium, ut probatur ex repetitis normis conciliaribus, sicut cito apparebit.

Poenitens hic intelligitur sive vir sive mulier qui propter peculiare rationes Deo consecratur, sicque in speciali statu constituitur ad poenitentiam faciendam. Et quia generatim non intelligebatur consecratio temporanea, debebat esse ordinarie in perpetuum, etiamsi ingressus in statum fuisset contra ingredientis voluntatem; transgressores puniebantur et considerabantur tamquam apostatae, et ipsa lex civilis eos damnabat.

Distinguendum est, ut recte procedamus, inter simplicem poenitentem, et poenitentem in statu iuridico; primo non mutabat statum mere laicalem, altere contra consecrationem personalem Deo faciebat (90). Hic agendum est de poenitentibus in statu proprie dicto, cuius signum peculiare erat tonsura cum veste pro hominibus et sola veste pro mulieribus (91). Vitam suam debebant

(90) VILLADA, Z. G., *op. cit.*, 2, seg. 66: ista distinctio etsi non explicitis verbis, invenitur apud can. 54 Conc. Toletani IV (633). Cfr. FERNÁNDEZ, J., *op. cit.*, 244: «... en el sentido en que explicó el P. GALTIER (*De poenitentia*, n. 255): es decir, tenemos por penitencia... de un modo público y adscritos los sometidos a ella al llamado «orden de penitentes».

(91) LIBER ORDO, *op. cit.*, 83, nota: «Il est instructif de comparer ces rites avec ceux qu'on observait pour les pécheurs qui demandaient la pénitence publique, d'après les textes des Conciles de l'Eglise Wisigothique. Le canon XII du grand Concile national de 589 impose la tonsure aux hommes, le changement d'habit aux femmes. Le Concile de Barcelone, de 599, dit dans son canon VI «Poenitentes viri (ils vivaient «in domibus suis», dit le canon suivant) *tonso capite et religioso habitu utentes* ieiuniis et obscuracionibus vitae tempus peragant».

ducere magna ex parte inter ieiunia et abstinencias, cum prohibitione assistendi multis spectaculis et locis diversionis. Vetiti erant contrahere matrimonium vel uti eodem si iam contraxissent, sicut etiam agere commercia et negotia. Ex quo deducitur poenitentes constituisse specialem statum socialem et religiosum, similem propter vitam et habitum statuti monachorum; hoc sensu acceptatio poenitentiae similis erat professioni religiosae, ut probatur ex IV Concilio Toletano (633), nam in can. 55 sermo est coniunctim de viduis, virginibus ac poenitentibus feminis, «quae sanctimoniam habitum induerunt, et postea aut vestem mutaverunt aut ad nuptias transierunt» (92).

In quolibet momento vitae, sive valentibus sive infirmis, secundum testimonia historica, statum poenitentium ingredi licebat (93); atque si ordinarie propter peccata commissa ingrediebantur, tamen pariter ob humilitatem et devotionem, sicut plene probatur ex verbis S. PACIANI: «Scio quosdam ex fratribus et sororibus vestris cilicio pectus involvere, cinere incubare, ieiunia sera meditari, *et non talia*, fortasse, peccarunt» (94). S. PACIANUS evidenter admittit possibilitatem faciendi poenitentiam canonicam sine peccatis gravibus commissis, quae erant materia proprie dicta poenitentiae, et proinde in statum poenitentium poterant ingredi ex propria voluntate, «nulla manifestata scelera confitentes, sed tantum peccatores se praedicantes», sicut postea affirmatur in Concilio Gerundensi (517) (95). Ad hos porro poenitentes forsitan referenda sunt verba S. ISIDORI, qui loquitur de quibusdam religiosis qui neque clerici neque monachi sunt (96). Praeterea etiam ex aliis testimoniis et documentis, constat aliquos obiisse in statu poenitentium post vitam piam et sanctam (97).

Ex his facile deducitur statum seu ordinem poenitentium fuisse verum impedimentum ad matrimonium contrahendum (98). Sed quod magni mo-

(92) MANSI, *op. cit.*, X, 632.

(93) Cfr. *Conc. Toletanum* III (589), can. 12, in MANSI, *op. cit.*, IX, 995: «Quicumque ab episcopo vel presbytero sanus vel infirmus, poenitentiam postulat...»; cfr. etiam DOMÍNGUEZ, U., O. S. A.: *El candidato al Sacerdocio en los Concilios de Toledo*, in «Ciudad de Dios», 59 (1943), 267 ss.

(94) PACIANUS, S.: *Parenesis sive exhortatorius libellus ad poenitentiam*, in P. L., 13, 1088.

(95) FERNÁNDEZ, J., *op. cit.*, 277, nota: «*Conc. de Gerona* (517), can. 10 (BRUNS, 11, 20). Cfr. BRUNS, *ib.*, n. 5: «deest hic canon in A et caeteris codicibus hispanis praeter AE, necnon in collectione Aguirre et Mansi.» «AE es el manuscrito de San Millán de la Cogolla, del año 994 (BRUNS, I, XI). Dice SÉJOURNÉ, P. (*S. Isidore...* 220, n. 2), que el canon es una añadidura posterior a este Concilio, tomada del canon 54 del Concilio IV de Toledo.»

(96) Cfr. SÉJOURNÉ, P., O. S. B.: *Saint Isidore de Seville, le dernier Père de l'Eglise, son rôle dans l'histoire du Droit canonique* (París, 1929), 221; FERNÁNDEZ, J., *op. cit.*, 277.

(97) VIVES, J.: *Inscripciones cristianas de la España romana y visigoda* (Barcelona, 1942), 45; GONZÁLEZ RIVAS, S.: *La penitencia en la primitiva Iglesia española* (Salamanca, 1950), 113; ubi traduntur diversa testimonia.

(98) MENDOZA, F. DE, *op. cit.*, 180: «Quinimo poenitentes omnes matrimonio interdictos, Leo Magnus docet, et Concilium Toletanum VI (can. 8) et alia pleraque...

menti est, poenitens finita satisfactione et semel reconciliatus, revertebatur in communionem Ecclesiae, verumtamen vita eius non erat sicut vita cuiuscumque fidelis qui numquam in statu poenitentium fuisset, sed etiam post reconciliationem, iuxta praescripta Ecclesiae, a *novis* quoque nuptiis celebrandis in perpetuum arcebat (99), et in aliis rebus vitam ducere debebat ad similitudinem monachi, idque in perpetuum, quia non admittebatur consecratio Deo temporanea. Nihilominus ista rigida disciplina in primis pro adolescentibus statui poenitentiae ingredientibus moderationem nacta est, atque paulatim nec matrimonium contrahendi nec eo utendi amplius prohibitio viguit (100). Circa valorem autem matrimonii, contra praescriptum initum, videtur affirmandum: prohibitio fuisse contrahere matrimonium poenitentes sub poena illicetatis, non autem nullitatis, vel saltem non constat de nullitate ipsius matrimonii, sicut clare deducitur ex epistola S. LEONIS ad Rusticum, et etiam apparebit ex demonstratione historica impedimenti matrimonialis ex ordine poenitentium provenientis.

Et re quidem vera, S. SIRICIUS, in epistola ad Hymerium Tarraconensem, reprehendit illos qui, facta poenitentia, redeunt ad primitivum statum, et comparat canibus eos qui redeunt ad pristinos vomitus et volutabra et inter vitia commissa citat: «et nova coniugia, et inhibitos denuo appetivere concubitus» (101). Summus Pontifex loquitur de illis qui professionem poenitentiae fecerunt ex sola devotione; tamen prohibitio pro omnibus valeret quia radix impedimenti non stat in peccatis, sed in professione poenitentiae (102). Prohibitio haec invenitur etiam in epistola S. LEONIS ad Rusticum Narbonensem, ubi tamen severitas legis aliquatenus mitigatur pro illis poenitentibus qui peracta poenitentia in aetate iuvenili contraxerunt matrimonium ob periculum incontinentiae; nam unusquisque talium «rem videtur fecisse venialem, si praeter coniugem nullas aliam omnino cognoverit» (103). Momentum praescriptionis LEONIS Papae deducitur ex ipsis verbis et ex influxu quem habuit in temporibus posterioribus, e. g. in Concilio Toletano VI (638).

Quod si poenitentes olim nuptiis se implicarent, velut apostatas puniendos Concilii Toletani VI (can. 55)...» (forsan est IV, can. 55).

(99) SIRICIUS, S.: *Epistola ad Hymerium*, in *P. L.*, 13, 1137.

(100) *Conc. Toletanum VI (638)*, cans. 7 et 8, in MANSI, *op. cit.*, X, 665.

(101) SIRICIUS, S.: *Epistola ad Hymerium*, in *P. L.*, 13, 1137.

(102) VEGA, A. C.: *El Primado romano*, 85.

(103) LEO I, S.: *Epistola ad Rusticum*, in *P. L.*, 54, 1207: «In adolescentia constitutos, si urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo, poenitentiam gessit, et postea timens lapsum incontinentiae iuvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si praeter coniugem, nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius aestimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit qui poenitentiam gessit quam castitas perseverans et mentis et corporis.»

Concilium Barcinonense I (540), cans. 6, 7 et 8 et Concilium Toletanum III (589), can. 12 (104), quamvis non expresse loquantur de prohibitione contrahendi matrimonium pro poenitentibus, tamen ex eorum normis faciliter deducitur esse difficillimam coniunctionem vitae poenitentis et vitae matrimonii, quia praescribunt habitum et tonsuram pro hominibus et vestem specialem pro mulieribus, et decernitur ut «ieiuniis et obsecrationibus vitae tempus peragant» (105). Nihilominus primum testimonium conciliare explicitum est praescriptio facta in can. 4 a Concilio Barcinonensi II (599) quod comparat statum poenitentium statui virginum devotarum, atque statui ut isti poenitentes si «ad terrena connubia sponte transierint», eiciantur ab ecclesiis et separentur a conversatione hominum catholicorum (106). Praeterea ipsa comparatio cum statu virginum devotarum iam indicat momentum quod habebat coram Ecclesia status poenitentium, sicque intelligitur cur etiam prohibiti essent, poenitentes matrimonium contrahere, quod supponit adfuisse verum impedimentum.

Disciplina severior invenitur iterum in Concilio Toletano IV (633) quod in can. 55 sententia anathematis plectit feminas in statu poenitentium degentes quae primum induerunt habitum proprium (sanctimonialium, dicitur in canone) et postea vel vestem mutaverunt vel ad nuptias transierunt (107). Proinde prohibitio est duplex: mutandi habitum proprium et transeundi ad nuptias. Idem statuit Concilium Toletanum VI (638), nam in can. 7 prohibentur personae utriusque sexus (in Concilio Barcinonensi, sermo erat tantum de feminis) relinquere statum poenitentium et si hoc faciunt, ab episcopo civitatis applicandae sunt eis iterum leges poenitentiales (108). Maioris adhuc momenti est can. 8 eiusdem Concilii, in quo Patres Capitulares, secundum sententiam LEONIS Papae, indulserunt poenitentibus iuvenibus, propter periculum incontinentiae, non solum uti matrimonio, sed etiam ad pristinum coniugium regredi, quamvis in periculo mortis benedictionem poenitentium recepissent, «quosque possunt adipisci temporis maturitate continentiae statu-

(104) MANSI, *op. cit.*, IX, 109; MANSI, *op. cit.*, IX, 995.

(105) MANSI, *op. cit.*, IX, 109.

(106) MANSI, *op. cit.*, X, 483: «Pari etiam consideratione sancientes... vel si qui hominum utriusque sexus poenitentiae benedictionem expetendo a sacerdote per ceperint, et ad terrena connubia sponte transierint... utrique ab ecclesiarum liminibus expulsi ita ab hominum catholicorum communionem sint separati, ut nulla prorsus eis vel colloquii consolatio sit relicta.»

(107) MANSI, *op. cit.*, X, 632: «Quod si reverti non possunt vere ut apostatae anathematis sententiae subijciantur. Quae forma servabitur etiam... ac poenitentibus foeminis quae sanctimonialem habitum induerunt, et postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt.»

(108) MANSI, *op. cit.*, X, 665; HEFELE, CH. J.; LECLERCQ, H., *op. cit.*, III, prim. 280.

tum» (109). Postea in ipso canone sequitur regula valde determinata, scil.: quod si ex coniugibus, alter sit poenitentiae legibus adstrictus, alter autem non, et moriatur illa pars quae non sit adstricta, tunc parti superstiti non liceat transire ad novum coniugium; si vero moriatur pars subiecta poenitentiae, tunc pars superstes cum non pertineat ad statum poenitentiae, possit matrimonium inire si adsit periculum incontinentiae, et concluditur canon hoc «de utroque sexu pari modo a nobis (capitularibus) manifestum est decrevisse» (LEO Papa) (110). Ergo obligatio continentiae urget illam partem quae professionem poenitentiae fecit, etsi mortua sit altera pars; impedimentum erat in perpetuum. Canon conciliaris absolvitur pulchra norma pastoralis et iuridica quae subicit materiam iudicio sacerdotis: «ita videlicet ut in his omnibus sacerdotis ordinatio expectetur». HEFELE-LECLERCQ loco sacerdotis ponunt episcopum (111), GONZALEZ autem dicit verbum sacerdos posse intelligi tam de episcopo quam de sacerdote (112).

Dispositiones LEONIS Papae et Concilii Toletani VI influxum habuerunt in disciplina Ecclesiae Hispaniae, nam in formulis benedictionum, contentis in libro liturgico *Liber Ordo* quoad iuvenes infirmos sic dicitur: «Deus... pro iuvenili aetate vel incerta professione iugum poenitentiae imponere non audemus» (113). Ideoque iuvenes non subiciebantur legibus poenitentiae, et hoc propter periculum incontinentiae.

In Conciliis posterioribus iterum incitantur et poenis urgentur poenitentes ne relinquunt suum statum poenitentiae, e. g. canon 12 Concilii Toletani XI (675) (114), et Concilii Toletani XII (681) can. 2, qui imponit continentiam etsi poenitens oblatus sit a parentibus vel sponte venerit nesciendo ob morbum quid fecerit (115).

Ex scriptis auctorum ecclesiasticorum e. g. S. MARTINI, S. FRUCTUOSI, TAIONIS, S. ISIDORI, etc., patet tunc quoque temporis floruisse ordinem seu statum poenitentium; verumtamen de relatione horum poenitentium ad matrimonium nihil invenimus in scriptis illorum auctorum. Praeterea in *Senten-*

(109) MANSI, *op. cit.*, X, 666; GONZÁLEZ, P.; TEJADA, R.: *Colección de cánones de la Iglesia española, latin-castellano* (Madrid, 1849-1855), II, 341, tractat quaestiones de similitudinibus et divergentiis inter doctrinam S. Leonis et doctrinam Concilii.

(110) MANSI, *op. cit.*, X, 666.

(111) HEFELE, CH. J.; LECLERCQ, H., *op. cit.*, III, prim. 280.

(112) GONZÁLEZ RIVAS, S.: *La penitencia*, 117: «Y la expresión de *sacerdos*, que ocurre en los primeros Concilios de Barcelona y en nuestro Ritual (L. O.), creemos que puede entenderse también de uno y otro.» Et antea dixerant: «Quien daba esta penitencia era el Obispo o el presbítero. Ambos se mencionan expresamente en los Concilios Toledanos tercero, cuarto y sexto»; ídem dicendum est de FERNÁNDEZ, J., *op. cit.*, 276.

(113) LIBER ORDO, *op. cit.*, 86.

(114) MANSI, *op. cit.*, XI, 144.

(115) MANSI, *op. cit.*, XI, 1029.

iii TAIONIS indicatur poenitentiam privatam supplantare definitive poenitentiam publicam, ideoque ordo poenitentium hac de causa valde minuitur (116).

* * *

Ex testimoniis enumeratis, licet concludere existentiam status vel ordinis poenitentium, qui aliquoties imponebatur in poenam et aliquoties voluntarie assumebatur; talis status constituebat verum impedimentum ad matrimonium contrahendum eoque utendum si iam contractum erat; tamen tempore posteriore pro iuvenibus disciplina mitigata est atque paulatim disciplina matrimonialis pro statu seu ordine poenitentium fere disparuit.

Fr. JUAN FOLGUERA, O. F. M.

(116) GONZÁLEZ RIVAS, S.: *La penitencia*, 130.